

Nf. 23.

PROGRAMMA SACRUM,
 ACADEMIÆ ^{Q.V.O} FRIDERICIANÆ
 PRO-RECTOR,
FRIDERICUS HOFF-
MANNUS,
 COMES PALATINUS CÆSAREUS, CONSILIARIUS REGIUS,
 ET PROFESSOR ORDINIS MEDICORUM SENIOR,
 UNA CUM
CANCELLARIO & PROFESSORIBUS
^{RELIQVIS,}
CIVES ACADEMICOS
 AD DIGNAM
FESTI NATALITII
 CELEBRATIONEM
 QUAM HUMANISSIME COHORTATUR,
 AC PIÆ IPSORUM MEDITATIONI
DIGNITATEM ANGELICA
 MULTO MAJOREM,
 QUAM SALUTIFERA SALVATORIS NATIVITAS
 HUMANO GENERI CONCILIAVIT,
 SUBMISSE CONSIDERANDAM COMMENDAT.

HALÆ MAGDEB. TYPIS JO. CHRIST. HENDELII, ACAD.TYPOGR.

PROGRAMA SACRUM
ACADEMIA FRIBERGIANA
PRO-BECCOLI
FRIBERGII HOF
MANUS.
COMITATUM CESSARIAE CONSISTENTIA RECENS
PROFESSOR QUINTUS FRIBERGII SENIOR
HABENS
CANCELLARIO PROFESSORIBUS
CIVIS AGEDERICOS
EST NATALITII
EXCELSA TITULI
OMNI HUMANITATEM CONSERVATORI
AC PLURIMORUM MEDITATIONI
DIGNITATI VNGERICY
MILITO MAJORIBUS
OMNIS HUMANITATEM CONSERVATORI
HONORIS CENSER CONSERVATORI
ABAMAE CONFIDET INDI CONSERVATORI
HABEAT MUNERIS TANquam CHAMPIONEM TERRAM NOVAM



Spiritus illos hypostaticos, quos a sancto, quod creatori Deo praestant, ministerio, Græco nomine angelos adpellamus, dignitatis esse præstantissimæ, velipia eorum mere spiritualis, & omnis materia expers, natura satis superque nos docet. Non enim solum sunt substantiae intelligentes ac liberae, seu intellectu ac libera voluntate prædictæ, sed sapientes etiam ac sanctæ, immo singulari & plane eminenti sapientie ac sanctitatis dono instructæ: & eo ita quidem, ut in bono, post edita fidelitatis documenta, insigniter confirmatae, jaeturam ejus facere haud possint. Unde, quandoquidem, pro natura sua spirituali, ad spiritualem Dei naturam proxime accedunt, & a sanctitate ejus proprius absunt, intimæ admissionis ministerio, & augustissimo quasi Dei satellitio, digni habentur. Nec quisquam adeo in pandectis sacris hospes est, ut nesciat, quam honorifica sanctorum angelorum mentio in iis passim fiat. Ipse etiam Salvator optimus maximus, quando futurum, eumque beatum, electorum hominum, tanquam Dei filiorum, statum prædicare vult, interprete Luca c. XX, 36. dicit, ipsos futuros esse ἀγαγέας, angelis similes.

Vérum enim vero dignitatem humani generis quavis angelica, et si satis eminenti & præstantissima, longe esse majorem, & hanc ipsum CHRISTO ejusque nativitati debere, est certe, ut voce Davidica utamur, Κύριον, res meditatione & attenta consideratione dignissima. Manifestam vero & prægnantissimam hujus asserti rationem habemus in salutifera Salvatoris nostri nativitate. Hic enim, et si Deus est infinita maiestate verendus, non tamen dubitavit, in saluberrimum redimendi generis humani scopum, humanam induere naturam, eamque, infinitis divinitatis perfectionibus unctam, in hypostasin suam adsumere, & sic in unitate personæ existere Γενεσιον. Jam si inferioris sortis familia integra accipit, de quo sibi gratuletur, splendorem haud exiguum, quando augustioris fastigii princeps ex ea sibi tori sociam adsciscit, & hanc ista insperatae majestatis radiis coruscantem, & totam sibi ornandæ evehendæque addictam, contemplatur: quantopere nobilitatum credemus humanum genus per augustissimam IPSIUS

FILII DEI ἐνοίκουσιν? Habet certe hoc ac retinet in æternum; quo carent angeli, & quod ipsi summa veneratione admirantur. Nunquam enim angeli, utpote quorum naturam non adsumsere Christus Hebr. II, 16. vident, aut videbunt, Ἰεράγγελον, angelum, qui simul ipse verus Deus sit, quemadmodum adorant Ἰεράγγελον, Deum hominem. Agnoscunt quidem Christum, suum & conditorem & dominum, demissione summa: at ipsum caput suum, caput, cuius membra sint, & cuius corpus mysticum constituant, appellare haud possunt, quia salvo jure nequeunt. In ipso majestatis divinae throno deprehendunt non angelum, sed verum hominem, non angelica, sed humana natura intra augustinum sacerdotem Triadis senatum admissa. Unde quando cultum suum praestant Dei Filio (praestant vero indefinenter) totum adorant Ἰεράγγελον, non minus secundum humanam, quam divinam ejus naturam: quemadmodum Paulus capite epistole ad Hebreos primo διανέμεται edisserit. Quæ angelicæ adorationis gloria quin ab humana Christi natura radios suos splendidissimo jubare demittat in universum genus humanum, eo minus est dubium, quo certior est ejus a Christo facta redentio, & quo arctiori communionis vinculo corpus mysticum cum gloriosissimo suo capite est conglutinatum.

Ubinam in sacris litteris DEI FILIUS vocatur angelorum Goel? Goel, qui pro arctissimo etiam *naturalis cognitionis* nexu, angelos honorificentissimo fratum nomine adpellat, quo homines adpellare non dignatur? Hebr. II, 11, 12. Ubinam fundatum habemus, aut ullum videmus vestigium, unionis mystice Christum inter & angelos? ubi *inhabitationis mysterium*, secundum quod ullus angelus, aut archangelus, dici possit DEI Patris, Filii, ac Spiritus Sancti *templum*, quod ipse Deus inhabet, suæque gratiae ac virtutis affluxu perenni mirifice exorner? Habeant angelii sapientiam ac justitiam suam e divino creationis beneficio: per magna quidem illa est; at finita tamen, suis circumscriptis limitibus. Jam humanum genus finitum quidem est ac manet, etiam in Christo consideratum: sed infinita tamen Christi sapientia & justitia donatur; utpote qui ipsi ipsa factus est sapientia & justitia 1. Cor. I, 30. justitia, quæ ipsius Dei est, cuius mundissima stola vestiti homines in judicio divino adeo justi reputantur, ac si nihil, nisi mera & ipsa essent justitia, quia, quæ ipsis, tanquam sua, imputata est, infinita est perfectionis 2. Cor. V, 21. Et cum infinita ac inhabitan-

bitantis gratia dotes sint eminentissimae, illustris Dei imago, iis in homine subinde plenius instaurata, tandem illud perfectionis fastigium in regno gloriae attinget, quod ipsi angeli, tanquam suo splendidius, sine invidia sancte admirabuntur. Et quis neficit, ab ea dependere ipsam refuscat: *humani corporis gloriam?* & tantam quidem, quae gloriosissimo Salvatoris corpori erit conformis. Phil. III, 21. Hac vero angeli adeo carent, ut ejus, pro natura sua mere spirituali, ne quidem sint capaces.

Quid dicamus de isto dignitatis, humano generi destinatae, culmine, quod in ipso est *connubio* Christi & anime fidelis mystico? Certe si qua est vera & beata felicitas; ecquis hanc non omni jure diceret summam? Vocari ac esse lectissimam, puram ac glorio-
sam Agni sponsam, sponsam infinitis sponsi dotibus ac characteri-
bus radiantem, quis angelus sibi unquam tribuet? & quis angelus
hoc in humano genero non summa suspiciet admiratione? In primis
cum gloriae hujus gradus tunc sit, ut dilecta sponsa fiat *in Throno*,
ad ipsam throni societatem admissa; uti habet illustris promissio
identidem repetita. *Vincenti*, inquit rex regum & dominus do-
minantium, *dabo, ut mecum sedeat in Throno meo, quemadmodum ego
vici, & confesi cum Patre meo in Throno suo* Apoc. III, 21. Et hunc
ipsum in finem Christus, augustissimum caput, membrorum sua rede-
mit ac redempta lavat mundatque sanguine suo, mundata vero sa-
cerdotes constituit regales, uti sacerdotali justitiae stola, ita etiam
regiae majestatis diademata condecoratos Apoc. I, 5, 6. V, 9, 10.
Qui, quando suum habuerint *in Throno*, tanquam dignissimi tri-
bunalis Christi affessores, ipsi jam in regno gratiae absoluti, mun-
dum ipsosque angelos defectiones judicabant ac condemnabant I.
Cor. VI, 2, 3. cum Christo quam glorioissime regnaturi, Matth.
XIX, 28. XXIV, 47. XXV, 34. Luc. XXII, 29, 30. Unde toties
coronarum regiarum, vitoribus imponendarum, fit intentio I.
Cor. IX, 25. 2 Tim. IV, 8. Jac. I, 12. 1 Pet. V, 4. Apoc. II, 10. III,
II, IV, 4, 10. Sint ergo angeli *subditorum* Dei præcipui, immo
cives regni coelestis beatissimi; certe tamen reges & regni consor-
tes sunt neutquam, nec unquam in symbolum dignitatis regiae,
quae ipsis propria sit, diademata gerere dicuntur.

A re ipsa convertamur ad illustrem ejus representationem,
sub emblemate hieroglyphico factam; quam Johannes, sibi olim
exhibitam, nobis reliquit in Apocalypsi. c. IV, 4. 8. & V, 1. Hic is
vidit *Thronum Dei* judicis infinita resplendent gloria, & *vigin-*

et quatuor seniorum thronis, per modum circuli circa istum locatis, ita cinctum, ut tota haec peripheria ad thronum ipsum pertineret, relicta in medio area, quæ ipsum Dei Filium, tanquam agnum olim mastatum, nec non quatuor $\zeta\omega$, animantia, continebat. Seniores isti viginti quatuor, in symbolum dignitatis regia ac sacerdotalis, ab agno acceptæ, c. I, s. 6. c. V, 9. 10. vestibus induiti albis, seu facerdotalibus, ac coronis insigniti aureis, representabant universum electorum hominum chorum. Quatuor vero ista $\zeta\omega$, seu substantia viventes, erant figura eorum DEI organorum, quorum ministerio is in regni sui œconomia quam maxime utitur; & hunc in finem pro sapientia sua peculiaribus instruxit donis. Etenim primum $\zeta\omega$ leonis similitudine expressit fideli ac fortitudinis heroicæ characterem; secundum sub figura vituli, seu tauri, ad arationis labores adhiberi soliti, assiduitatem laborandi; tertium sub schema faciei humanae humanitatis sanctificate, seu Φιλανθρωπίας & comitatis evangelicæ, charisma; quartum denique, volanii aquile simile, aptissimum gerebat emblemata istius perspicacie, qua non nullis Dei organis datum est, sublimia regni Dei mysteria, in primis e prophetarum scriptis evoluta, introspicere. Quas quatuor dotes primarias, & quasi cardinales, atque ecclesiæ Dei necessarias in verbi ministris & doctoribus esse, quis non agnoscat? Figure vero istorum quatuor $\zeta\omega$ admirabili non parum splendoris conciliabat tum copia oculorum, quos, tanquam maxime illuminata, in corporis sui superficie undique gerebant, tum subsidium sex alarum, quibus, in symbolum alacritatis suæ, subiecta, sine ulla intermissione tota erant in laudibus Dei decantandis, proclamata augustinissima illa doξαογια formula: Sanctus, sanctus, sanctus est Deus ille omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus, seu futurus est! Sic descripitus exhibebatur Dei thronus, & quidem, uti habet comma capituli IV sextum, cum mari vireo crystallino, hoc est, in strato, seu pavimento, pellucido & splendidissimo, quale ipsius throni maiestati conveniebat.

Quid vero haec ad dignitatem humani generis, eamque vel ipsa etiam angelica majorem? Per multum omnino. Quemadmodum enim dignitas electorum hominum regia, vel ex ipsis illorum thronis, atque thronorum situ, quo throni Dei primarii, qui ipsius Dei est, peripheriam circulo suo formarunt, satis superque eluerentur, eam beato angelorum statu longe esse excellentiorem, & situ & loco, quem sancta angelorum cohors hic occupavit, quam luculentissime

tissime fuit representatum. Etenim viginti quatuor senioribus, qui universum electorum hominum coetum exhibebant, in thronis suis, regum in star singulari cum auctoritate ac potestate sedentibus, iisque ipsum etiam throni circulum formantibus, angeli, quasi in modum satelliticum ministrantium, non solum visi sunt in statione, sed etiam extra throni, a venerabili seniorum concilio descripti, peripheriam. In quo situ locoque, in se certe satis augusto & honorifico, constituti electorum hominum doxologice suam jungunt, magna voce sublata canunt: *Agnus ille, qui maculatus es, dignus es, qui accipias potentiam, & divitias & sapientiam, & robur, & honorem, & gloriam, & gratiarum actionem!* Quandoquidem vero sic in statione sua extra throni circuitum non solum ipsi Dei Filio, sed omnibus etiam *οντογόνοις*, seu regni ejus confortibus, ministrant; mirum non est, ipsos Hebr. I, 14. vocari *μένυα λαζαρεῖα*, spiritus ministratorios, in ipso gratia regno a Deo emissos in gratiam eorum, qui futuri sunt heredes æternæ salutis & coheredes Christi, tanta cum emphasi, que ad ipsam regiam tendit dignitatem, Cuius nobilitatis, post operum divinorum consummationem, electis Christi membris conferenda, cum non ignari essent sancti angelii, ejus vero & mysteria & divitias ipso usq[ue] subinde plenius ac luculentius cognoscerent ac cognoscendo demisse admirarentur; Paulus ipsis tribuit sapientia Dei œconomicæ cognitionem, incrementa capientem subinde majora Eph. III, 10. Petrus vero cupiditatem œconomias Dei de salute humani generis introspicieendi intensissimam ep. I, c. I, 12.

Quæ cum ita sint, prærogativa humani generis præ angelis insigni nequaquam obstat istud Christi effatum Luc. XX, 36. quo is prohibet, electos homines futuros esse *ταγγήλοις*, angelis similes. Hac enim similitudine istis adserta Salvator tantum a statu vita futura beatissimo se Jungit crassiores vitæ animalis & terrestris proprietates, in connubiis & clementari corporis nutritione positas, significans, hominem, qui jam tum in hac vita est spiritus, & quidam quasi angelus corporis indumento vestitus, etiam ratione corporis dotibus angelicis, seu spiritualibus, iri instructum.

Habetis igitur, CIVES omnium ordinum florentissimi, materiam meditatione vestra, ut per omnem vitam, sic quam maxime feriis hisce natalitiis, dignissimam. Illuxit enim, quæ Dei est gratia, denuo tempus, quo acroteria ecclesie publica merito resonant *præconio angelorum* publico, de salutifero SALVATORIS

RIS NATIVITATE sublato: *Gloria in excelsis Deo, in terris pax,*
& in hominibus iudicia, acquisiens & benevolia voluntas! de nativitate,
que tantam humano generi dignitatem, sua ipsorum angelorum
longe excellentiorem, conciliavit, ipsis sanctis hisce spiritibus me-
rito, & sine ulla invidia, summe admirabilem. Quam qui non de-
mississima gratiarum actione agnoscit ac celebrat, is certe huma-
na natura, ab ipso Dei Filio tantopere nobilitata, immo ipso etiam
hominis nomine, est indignus! Non agnoscit vero, nisi quid agit
omni nisu ac omnibus viribus, ut labem a protoplastis contractam
sanguine Christi, in humana natura, ad opus redēptionis pro no-
bis adsumta, effuso eluat, ejusque spiritui se regenerandum ac ipsi
conformandum permittat. O quantus inter vos est numerus co-
rum, qui ab indole Christi ac christianissimi tantopere absunt, ut ne
humanæ quidem nature axioma secundum reliquæ vires digne-
tueantur, sed se vel infra brutorum sortem ipsi in impurissi-
mæ voluptatis cœnum plane ~~ad~~ demergant! Quod si dubi-
tatis, & recte quidem, vel vestem mundiorum sordibus data opera
commaculare; cur, veltri ortus, & vestri, quod humanum est,
generis, vestrique Domini, qui homo natus est, ac vestri denique
scopi, omnibus merito præfigendi, adeo immemores, tam
immanes estis erga vos met ipsos? Sperabimus vero post hac melio-
ra, ac dignam naturæ vestræ, per nativitatem Christi tantopere no-
bilitatæ, curam serio vobis commendamus, eam nobis met ipsi eti-
am nunquam non commendatam habituri.

O vos vero felices ac beatos, quotquot, agnita naturæ ve-
stre prestantia, quam ea e nativitate & cognatione ipsius Filii Dei
acepit, ejus instauratiōnem ab eodem jam admisiſtis, & de ea dex-
tre continua pie estis solliciti! Habetis sane, de quo vobis gra-
tulemini, cum de dignitate vestra ipsiſmet sancti angeli vobis con-
gratulentur. Et inter eos vos, qui contriti estis corde, abjecti
que animo, & ex indignitatis vestræ, per nativas peccatorum
maculas contractæ, sensu pauperes spiritu, animum in Chri-
sto, capite & primogenito fratre vestro, capescite! animum ca-
pessite fidentem, certo persuasi, vos parte per Christum dignita-
tis eo esse capaciore, quo major in vobis vestræ indignita-
tis est sensus. P. P. Halæ Magd. in ipsis feriis natae
litiis anno reparata salutis, MDCCXXIX.

Ja 3011

St

WPA

ZBET



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-174717-p0013-2

**PROGRAMMA SACRUM,
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
PRO-RECTOR,
FRIDERICUS HOFF-
MANNUS,**

COMES PALATINUS CÆSAREUS, CONSILIARIUS REGIUS,
ET PROFESSOR ORDINIS MEDICORUM SENIOR,
UNA CUM
CANCELLARIO & PROFESSORIBUS
RELIQVIS,
CIVES ACADEMICOS
AD DIGNAM
FESTI NATALITII
CELEBRATIONEM
QUAM HUMANISSIME COHORTATUR,
AC PIÆ IPSORUM MEDITATIONI
DIGNITATEM ANGELICA
MULTO MAOREM,
QUAM SALUTIFERA SALVATORIS NATIVITAS
HUMANO GENERI CONCILIavit,
SUBMISSE CONSIDERANDAM COMMENDAT.

HALÆ MAGDEB. TYPIS JO. CHRIST. HENDELII, ACAD.TYPOGR.